



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Imago Primi Saecvli Societatis Iesv

Bolland, Johannes

Antverpiae, 1640

Oratio Qvinta. De patrocínio D. Virginis, & felicitate Societatis, quòd sub
cius singulari sit tutelâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97844](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97844)

militiam cui adscripti, per sacramenti fidem, quâ obstricti Deoque deuoti sumus, vt Imperatorem ac Ducem vestrum, in quamcumque partem signa conuerterit, erecto excelsoque animo sequamini. Nulla conterreat aduersariorum vis atque potestas, nullæ frangant inuidorum criminationes, nulla deiciant vitæ incommoda, nulla mortis pericula cruciatuque disturbent. Nolite, obsecro, maiorum vestrorum laudes tanto labore & virtute partas otio ignauiaque vestra obtere; nolite tot illustrium animarum, quas Deo procreatori suo asseruerunt, fructum atque tropæa inertia vestra prodigere: nolite tot tamque illustres victorias, vbiuis gentium tam copioso sudore sanguineque empras, degeneris animi probro contaminare. Excitare profecto vos debet atque incendere tum Ignatij Ducis vestri summa virtus atque religio, tum primorum Patrum, in promouenda diuina gloria studium atque contentio. Quot illi labores, quot incommoda, quot pericula, pro Deo animarumque salute susceperunt, exhausserunt, exanclarunt? quam forti minimeque perturbato animo Ducem IESVM secuti, omnem eius vitæ rationem exercitationemque virtutum imitati sunt? quam veram germanamque Sociorum IESV effigiem in se ipsis expressam nobis reliquerunt? Horum vestigiis insistendum omnino vobis est, Auditores: horum exemplo ad procurandam animorum salutem nitendum: horum imitatione sequendus effingendusque per omnem vitam Dux noster & Imperator IESVS. Id à vobis iure suo postulari fides vestra quam altrinxistis, id militia cui nomen dedistis, id sacramentum quo spondidistis non defuturos vos Christianæ Reipublicæ, id Ordinis Nominisque vestri præclara & ad inuidiam excellens compellatio, id Dux vester cui meretis, quem colitis, quem amatis; id Deus ter Optimus Maximus, *per quem vocati estis in Societatem Filij eius IESV CHRISTI Domini nostri.* 1. Cor. 1. 9.

ORATIO QVINTA.

De patrocinio D. Virginis, & felicitate Societatis, quod sub eius singulari sit tutelâ.

DVos esse, quos inter cælorum terrarumque imperium dominatu licet impare, diuisum est, qui illâ tum bonitatis amplitudine polleant, tum potestatis excellent magnitudine, vt nihil eis desit, nec facultatis vt possint, nec bonitatis vt velint, homines omnes diuinis opibus cumulare, Dei videlicet Filium & Matrem; non tantum diuina oracula proclamant; verum etiam exquisita illa, quibus totum genus humanum complexi sunt beneficia, omni pænè sæculorum memoria, vbi que terrarum promulgarunt. Quapropter si quis hos duos, quorum nutu publica generis humani salus nititur, possit obsequiis adeo sibi demereri, vt alterum habeat in bonis comparandis fautorem, alteram in malis propulsandis adiutricem; enimuerò tot eum tantisque præsidij muniri necesse est, vt nihil sperare possit, vel ad animi tranquillitatem præsentius, vel ad felicitatem optabilius, vel denique ad

IESVS &
MARIA
certissima
salutis
presidia.

æternam salutem consequendam securus. Non hoc obscurum fuit Ignatio, ubi è densâ veteris vitæ caligine & cæcâ nocte productus ad diuinæ gratiæ lucem diemque, oculos aperuit. Vt enim erat altâ quâdam mente præditus, cum exauctoratus iam profano bello, sub CHRISTO Imperatore, prælia noua præliaturus, cœpit merere, cumque animum induxisset, non arcis vnus Pampilonensis angulo, vel vrbs mœnibus, vel provinciæ limitibus, mentis suæ amplitudinem circumscribere; sed in omnium nationum ac populorum commercium sese effundere, illudque capacissimum rerum excelsarum pectus in totius humani generis salutem longè lateque explicare; nihil illi potius fuit, quàm duo hæc subsidia, fini suo consequendo pernecessaria, omni tum corporis tum animi contentione comparare.

Atque vt omittam de illius in CHRISTVM singulari affectu dicendo commemorare, eum, secundum Dei Filium, Dei Matrem singulari semper amore complexum fuisse, hunc eius amorem filios eius à parente non degeneres in se transfusum habuisse; Deiparam quoque vicissim, & Ignatium, & illius filios in suam fidem ac clientelam suscepisse, atque adeò Ignatij familiam non IESV tantum Societatem, verum & MARIÆ Sodalitatem, & esse & dici debere; consilium est hac oratione, quâ potero breuitate, demonstrare. Hoc tamen, priusquam dicendi curriculum ingrediatur, vobis persuadeatis velim, hac in causâ, pietatis potius quàm eloquentiæ, historiæ quàm orationis, amoris denique quàm ingenij partes à me esse susceptas. Itaque si aut humilius, aut prescius, aut succinctius egero, quàm vel materiæ grauitas, vel causæ dignitas, vel personæ amplitudo postulat; peto à vobis, vt tantum orationi meæ concedatis, quantum & modestæ pietati, & concisæ historiæ, & vehementi amori concedendum existimabitis.

Ignatij affectus erga B. Virginem.

Vt autem idem ipse sit mihi principium dicendi, qui fuit Auctor huius Ordinis instituendi, Ignatius, ubi primum cælesti classico ad sacram CHRISTI militiam aduocatus fuit; iam inde inclutus ille bellator tanto in Virginem-matrem ferri amore cœpit, tantam rerum suarum spem atque tutelam in hac veluti arce collocare, tam singulares eiusdem Matris inter plurimas ærumnas atque miserias (si vltro pro CHRISTO suscepta incommoda his nominibus appellare fas est) expertus est fauores, vt non aliam ob causam natum fuisse putes Ignatium, quàm vt Deus immortalis, quantum heroica in MARIAM fiducia coniuncta cum nobili in CHRISTVM amore possit, toti terrarum orbi, velut in amplissimo teatro, spectandum proponeret. Enimuerò cum iam deliberatum fuisset Ignatio, superioris ætatis errores nouâ instituendæ vitæ ratione corrigere, totumque penitus se reducere; non peto quid prius, sed quid aliud fecit, quàm Deiparam, in rebus dubiis vt consilium, in arduis vt robur, in aduersis vt constantiam, in desperatis vt opem præberet, supplicibus precibus implorare? Vix enim illustrium in Ecclesiâ Dei Heroum celeberrima facinora lectitauerat, vix subierat animum, præstantissimos quosque, ex iis quos legerat, æmulari; cum accensus precandi studio, intempestâ nocte desilire è lecto, totoque animo corporeque prostratus ante augustissimam Deiparæ effigiem, feruen-

ferentes & humili mixtas fiduciâ preces effundit: exoratiq̄ue Numinis augurium mox agnoscit. Etenim Ignatio sermones plenos magni ponderis atque momenti in illo suo arcano recessu cum Dei Matre conferente, ecce tibi ingenti motu concutitur terræ solum, tota domus repente contremiscit, vastiq̄ue strepitus tumultu fenestra fracta dissilit. Ecquod omen, cuius rei præfagium fuisse, quid portendisse illam trepidantium ædium concussionem autumatis? Credo equidem non dubiâ coniecturâ rem consecuturum, qui dixerit illo nutantis domus insolito motu, ac ruentis fenestra tremore, Deiparam tacito quasi vaticinio prædicere voluisse; hunc suum, quem sibi decuriauerat, Filij sui armigerum, quàm primùm suos in aciem educiturus esset, signumq̄ue ad pugnam daturus, hostes omnes iuratos Dei, Ecclesiæ inimicos, ac nefandæ perduellionis signiferos ingenti terrore concussurum, ruitura inanium Deorum simulacra, confringendas profanas aras, collapsura barbarorum fana, dæmonum castella expugnanda; denique, quocumque victricibus plantis incessurus esset, illic sub eius pedibus totam inferorum regionem ab imis sedibus tremore conuulsandam. adeò hostibus suis iam tum, priusquam solenni sacramento, supremo Imperatori auctoratus esset, formidandum fecerat illa mulier, quæ terribilis est vt castrorum acies ordinata. Sed videte, quemadmodum hunc, quem elegerat vt esset Christiani exercitus contra milites à principe tenebrarum lectos primipilus, armarit. Credo vos non ignorare, quod Plutarchus de Sullâ litterarum monumentis consignauit. Huic paulò antè, quàm tumultuosa illa ciuilibus pugnae procella per totam Italiam detonuit, dormienti de nocte Bellona paludata & ferox, seuam in capite iubam quatiens apparuit, eiq̄ue terrificum ac ferale fulmen porrexit, nominatim recensens singulos illius hostes, iubens eo fulmine illos ferire: quo & illi velut icti, cadere videbantur. Hac spe fultus, in hostes se expediuit; & vno veluti æstu fortunæ, ac torrente victoriarum, totam Italiam inundauit. Portentum non absimile Imperatori nostro, priusquam sagatus fortia Domini bella in ferocientes Ecclesiæ hostes sub Virginis auspiciis gesturus in campum prodiret, euenit. Vt enim Sullæ de nocte Bellona, ita Ignatio in ipsâ peruigilatione nocturnâ inuicta illa bellatrix MARIA, augusto ac sacro quodam horrore conspicua, spectabilem sese exhibuit; eiq̄ue præbuit, non fulmen, sed ipsum fulminum fabricatorem Filium suum, infantili specie amabilem, sed metuendâ maiestate hostibus terribilem: de quo magnificè in suis metris coronatus Vates: *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* & tu Ignati hoc fulmine armatus terribilis es, quis resistet tibi? Videor mihi Lutherum intueri, turbinem illum ac tempestatem Ecclesiæ, furem audaciâ, pestem Germaniæ nefariè molientem, Christianis omnibus ferrum flammâque minitantem, ad conspectum nostri Imperatoris diuinis armis muniti, abiectâ turpiter parinâ, fugientem. Cerno animo Ignatium bellatrices suas copias in arenâ explicantem, inuictò suorum exercitu, velut quadrato agmine, vbique gradientem, per medios hostium cuneos gloriosè penetrantem, & victoriis suis terrarum vltima completentem. Versatur mihi ante oculos fulminatrix illa Ignatij legio; quæ,

*Ignatio
B. Virginem
orante
domus
tremuit.*

*Ignatius
hæreticis
oppositus.*

Psalm. 75.

Virgi-

Zachar. 9.

Virginis ductu ac beneficio, per calcatas dæmonum ceruices, per omnium sectariorum turmas generoso Marte concisas, per illa nefanda tartarorum monstra atque portenta, Lutheros, Caluinos, Suinglios, Bezas, Melanchthones, aliosque sexcentos, victrix vehitur ac fertur triumphatrix. Quis ergo resisteret illi sic armato? *Exibit tunc fulgur iaculum eius,* inquit sacer Vates: ita ex Ignatianâ dextrâ, velut ex intento arcu missile telum, velut ex contentâ balistâ ingens saxum, velut è collis nubibus excussum fulmen; ita, inquam, hoc rutilum ac flammeum IESV nomen in debacchantes impunè hostes, euibrabitur. Vt autem ad illud reuertar, quod vnum mihi in hac omni oratione est propositum; quid aliud tam eximio in Ducem nostrum beneficio Deipara significare voluit, quàm tantò antè eius milites præmonere, huius deuotæ Filio suo legionis fore se semper Patronam, sibi que secundùm Deum victorias, manubias, adoreas, laureas atque triumphos adscribi debere; nec aliunde caelestia nobis speranda præsidia, nisi ab ipsâ, cuius nos Deus tutelæ voluit esse commissos? Prodibat iam ex suo arcano conclauis, magnifico excelsoque animo totum se ad Dei gloriam ac hominum salutem explicaturus Ignatius; & non gradu, sed cursu festinans ad sacræ militiæ tirocinium, iter in Montem Serratum intendit, apud eandem Virginem pugnæ positurus rudimenta, à quâ pugnanâ consilia ceperat. Ad montem illum summâ atque antiquissimâ religione celebrem sese conferebat Ignatius, in quo est sacra Deiparæ ædes, in æde statua plurimis beneficiis in calamitosos deriuatis, ac illustribus supra naturam prodigiis nobilitata. Ne autem ad Parthenicum illud sanum profanus ipse veniret, utque Virginis sacrarium castus intraret; hoc eodem in itinere voto se (quod Deiparæ pro suo in eam peculiari studio nominatim obtulit) perpetuæ castitatis obstrinxit: & quasi Virginem nouo sibi obligasset beneficio, illa vicissim, ne in illius esset ære, deuoto sibi clienti ex illâ die, ad vltimum vsque spiritum, excellentis pudicitæ, intaminatæque mentis & corporis donum caelesti benignitate concessit. Ita in hoc mutuo benè merendi certamine M A R I A semper triumphabat, cum ad ipsam victoriæ laus, ad Ignatium fructus rediret. Nec obscurâ clementissimæ Præsidis (ut fas est interpretari) tutelâ, subinde capitis animique discrimen euasit. Adiunxerat eunti se comitem Maurus homo (nondum enim illa sentina è Tarraconensi Hispaniâ omnino eiecta erat) qui cum, illato sermone de intaminatâ Dei Matre, diu impiè pernegasset eam à partu Virginem, mox subditis equo calcaribus in pagum proximum deflexit, ac Ignatium indignatione plenum reliquit. Exarsere scilicet in magnanimo statim Ignatij pectore excelso indolis igniculi, sopiti magis quàm extincti. humanarum itaque rationum momentis diuina examinanti, certum fuit iniuriam ferro protinus abolere. Tunc ipse hæc pro Virgine, hæc in Maurum, hæc contra se: Vah! quid audiuius? dubito, magisne execranda sit lingua quæ Virginem læsit, an aures quæ lædentem perceperunt. Quid agis, Ignati? pænè impius factus es audiendo, quid dicam, æquo animo perferendo? ergone M A R I A impura audiet? audiet, inquam, M A R I A impura, & quidem audiente Ignatio? hoc atrox scelus tam lentè vindicasse, est Dei vindictam

Ignatius
B. Virginis
honorem
ferro rueri
meditatur.

in

in se prouocasse. quid? plúne poterit os impudens Mauri ad Virginis honorem violandum, quàm Ignatij dextera ad propugnandum? an fortè exauctorata bello manus vt imbellis contemnitur? itáne verò? sciet, sciet Maurus arma Ignatium non deseruisse, sed mutasse, dum macula, Virgini incontaminatæ adspersa, eluetur sanguine, vel hostili, vel meo. Age, Ignati, hoc ferro piaculum tolles, vel feliciter Virginem defendendo, vel fortiter pro Virgine moriendo. Perinde est; vbi & vinci victoria, & vincere triumphus est. aggredere: tua interim vel iustitia, ô Virgo, causam bonam respiciet, vel clementia faciet. Dixit. nec mora: homo ad defendendam Dei Matrem fortiter audax, & piè iracundus, cum iam illi pro ratione impetus esset, consilium ab euentu mutuatur anceps, ac, nisi Virginis id causâ fecisset, pænè temerarium; in ambiguo curarum tumultu, eo capto consilio, vt, si mula, cui infidebat, semitam, quam tenuerat Maurus, iniret, intelligeret sacrilegum illum haud dubiè pugione confodiendum. Mox igitur laxatis habenis iumentum cursui suo permittit, atque ita dubiam ac lubricam veluti fortis aleam suspensus expectat, & consilio certo incertum euentum. Vbi ad viâ diuortium ventum est; extemplò iumentum, licet in conspectu pagus, magisque tritus inuitaret callis; tamen in alteram se partem, quæ ad Montem Serratum flectebat, immisit. Sic Mauro cædes adempta, cædis cura Ignatio. Morarer lubenter in hoc tramite, figeremque trophæum huic Marianæ iniuriæ vltori, ad posteritatis memoriam illustre; nisi Ignatius, qui huic vni rei maximè intentus erat, vt primum hoc in Deiparam studium nouo semper amoris vinceret argumento, religiosi cursus celeritate meam in dicendo tarditatem anteuerteret, cogeretque me festinare, vt quod ipse citissimis passibus ferè superauit montis iugum, idem oratione meâ properè conscendam. Ignatius, *Ignatius Montem Serratum inuisit, sequè Deipara consecrat.* superato montis vertice, nobile illud Deiparæ domicilium, religione augustum, sacro plenus horrore, ac submissâ animi reuerentiâ ingressus; eâ ipsâ nocte, cui festus Angelicæ Salutationis dies illuxerat, per uigil ante aram Virginis excubias egit. Nunc, si verum est illud Pythagoræ pronuntiatum, alium animum fieri intrantibus templum, Deorumque simulacra è vicino cernentibus; quem animum fuisse putatis Ignatio, stanti ad publicam illam felicitatis aram, cernenti è vicino illud plenum amabili maiestate ac religione Virginis simulacrum, quæ tot pestes exstinxit, tela intenta proborum ceruicibus repulit, mucrones ab innocentium iugulis reiecit, tot mortuos à funere excitauit, tot cæcis lumen, surdis aures, rationem amentibus, mutis orationem reddidit? Hic Ignatium cælestis potentia, in venas ac medullas intimas delapsa, agitare: hic ipse, sub alterius pugnaturus aquilis, sese exarmare, & ad Virginis aram è tholo anathêma gladium ac pugionem, emeritæ militiæ symbola, quibus mundo meruerat, nouæ militiæ candidatus, suspendere. Sed quid agis, Ignati? tu iam arma proijcis, cum passim Dei hostes in Ecclesiam communem matrem impiè armantur? Illi sago induti signa explicant, aquilas attollunt, trophæa figunt, triumphos meditantur: tu imbellis ex arenâ fugis, & in conclaue te abdis? tu in vmbra, illi in sole; tu in sacrâ æde, illi in Martio puluere; tu precibus, illi

præliis vacant. Sed ne metuas, Ignati: fortior est armis virtus, quam armata impietas. numquam magis fuisti occupatus, quam cum hinc otiosus. Ita est: in arcano illo noctis otio, publicum mundi agebat negotium: in priuato illo & angusto lare, magnus & excelsus Ignatij animus, quaquauerfum terminos porrigit orbis terrarum, vagabatur. vnâ illâ quâ apud Virginem excubuit nocte, multorum dierum, annorum ac sæculorum opus moliebatur. Attendite nunc paulisper ad ea quæ subijcio; & hoc secretum cum Dei Genitrice, in illius æde, eâ nocte habitum colloquium, quasi gradum atque aditum ad celsissimum illud Christianæ perfectionis, in quo postea emiuit, fastigium, factum intelligetis. Etenim hinc in Deiparam amor altissimè insitus Ignatij visceribus, inde in primos eius filios manauit, tum in alios disseminatus, tandem in posteros omnes, ad hæc vsque tempora, sese diffudit. Vix enim in illo pio Montis Serrati secessu, Dei Genitrix cælo pepererat Ignatium, cum repentè in Ignatio genuit Societatem. Sed quo loco, quo tempore eam natam existimatis? Certè si lucem eius natalem tum loci dignitate æstimare, tum temporis celebritate metiri velimus; ea duo in primis ad laudem Ignatianæ familiæ magnifica, ad splendorem eius illustria, ad decus eximia, ad commendationem præclara, & ad Ignatij in Deiparam cultum, amorem ac studium arguendum longè efficacissima reperiemus. Locus est, Lutetiæ adiacens, paulò editior, ac miti clementique ascensu, dictus Mons Martyrum. in cuius vertice delubrum Deiparæ sacrum, non potentia magis quam misericordiæ splendore ex illâ Virgine, quæ electa est vt sol, euibrato conspicuum, ab exteris omnibus oppidò celebratur. In hac Parthenicâ æde, ipso die assumptæ in cælum Deiparæ sacro, Ignatius, vnâ cum Xauiero, aliisque octo sociis, decem omnino numero, faciente P. Fabro, omnes voto perpetuæ paupertatis, elatâ voce, conceptaque verborum formâ sese Deo obstringunt; rerumque humanarum curis omnibus à se prorsus abiectis, soli Deo, hominumque saluti vacare constituunt: ac subinde singuli, Fabri manu, cælesti epulo reficiuntur. Ab illo die celeberrimo omnes Deiparam sibi Patronam apud Deum præcipuam adoptarunt; & post Societatem conditam eundem diem quasi primum eius natalem singulari religione ac veneratione coluerunt: fuitque idem Societatis IESV principium nascendi terris, quod Matri IESV fuit initium viuendi in cælis. Quare si locum spectes; prima ferè Societatis cunabula in Monte Martyrum, inter inuictorum Christi pugilum exuias, cruenta trophæa, ac splendida triumphorum monumenta, locata sunt; vt vel hinc daretur intelligi, Ignatij Socios, qui in eius, quæ Regina Martyrum est, sunt editi sacrario ac monte, debere esse firmâ fide, stabili pietate, inconcussâ religione.

Hæc fuere rudimenta, hæc tirocinia, hæc prima non planè collucentis, sed micantis velut in aurorâ, Societatis crepuscula: quæ inde consecutis temporibus Italiæ terminos quasi cunabula prætergressa, grandiora cepit signare vestigia, Alpesque transcendens, multas Prouincias occupauit; plurimisque terrarum spatiis disiuncta, quasi quædam fecunda propago, sese longè lateque explicauit, ac tandem iisdem, quibus sol, gradibus peruasit orbem vniuersum. Sed non minoribus quam Socie-

tas,

*Societas
in Monte
Serrato
concepta.*

*Societas
ad aram
Deiparæ
in Monte
Martyrū
nata.*

*B. Virgo in
Patronam
Societatis
electa.*

tas, etiam Societatis in Virginem-matrem amor auctus est incrementis: & si vniquam aliàs, certè in amplissimo orbis terrarum confessu, velut in illustri theatro, in Concilio nimirum Tridentino, palàm se videntum præbuit. Ad illum augustissimum ac eruditissimum cœtum, plurimi ex omnibus terrarum regionibus purpurati Ecclesiæ Proceres ac Patricij, sacri Senatus Patres conscripti, Antistites, diuinatum legum Interpretes, & Iudicis magni Vicarij, non secùs atque ad forum & curiam supremi Iudicis, gymnasium cœlestis sapientiæ, scholam Spiritus sancti, velut ad arcanum Indigetum Concilium, maiestatem venerandum, pompâ conspicuum, opibus splendidum, prudentiâ suspiciendum, ipso Senatus principe propè diuinum, confluerant. Illic cùm de primæuo disceptaretur originis peccato, & immunitate sanctissimæ Martris, ab eodem rogatus sententiam P. Iacobus Lainius (qui postea primus à sancto Ignatio totius Societatis præfecturam gessit) primùm infirmæ valetudinis vsus excusatione (quòd grauissimè quartanâ laboraret) cùm exposuisset, non posse se sicuti maximè optaret, & argumenti dignitas exposceret, perorare; tamen pro eo quo in Deiparam ferebatur amore, suggestum conscendit, indeque, Virgine imbecillo corpori sufficiente vires, tres ipsas dixit horas, pro asserendâ Virginis immaculatâ conceptione: tot productis sanctorum Patrum testimoniis, tot rationum exquisitarum momentis, eâ sententiarum copiâ & grauitate; vt augustissima illa sacrorum Procerum corona, quæ aureum eloquentiæ flumen, quod ex facundo ore, velut è torrente, fundebatur, auidissimis auribus imbibebatur, putaret non hominem aliquem è pulpito verba proferre, sed Vatem cælo delapsum è tripode oracula fundere, mysteria eloqui, decreta pronuntiare. Quare grauissimarum rationum pondere ita sacrosanctum illum cœtum commouit, conuicit, accendit, vt vnanimi consensu, ad illud Sessionis quintæ de originis peccato decretum, disertis verbis adiecerit: Non esse suæ intentionis, eo decreto beatam & immaculatam Dei Genitricem comprehendere, sed seruandas esse Sixti IV. constitutiones. O benè impensam eloquentiam dicam, an sapientiam è cælo hausitam! quæ intemeratæ Virgini, Virgini dico? virginitati potiùs dixerim, vel maculam multorum opinione iniustam deleuit, vel certè inurendam (quod par est beneficium) impediuit. Ita hucusque mansit Deipara, Societate patrocinate, decernente augustissimo illo Senatu orbis Christiani, in possessione suæ intemeratæ integritatis; è quâ panè quorundam calculis fuerat exturbata; cùm illam, non tantùm nullius culpæ vniquam auctorem (quod Catholicus nemo inficiatur) sed (quod quidam asserunt) nec heredem quidem aliquando fuisse, Societas vniuersa propugnauit. Exinde enim, quasi ex illo publico suggestu signo dato, confestim omnes Ignatij Socij ad arma concurrere, calamis domi, foris linguâ, in templo precibus, in scholâ argumentis, in exedrâ concionibus, contra omnes qui vel aperto Marte illius integritati aduersantur, vel occultis cuniculis ei insidiantur, decertare; immaculatæ Virginis intactam illibatamque conceptionem cum omni deinceps omnium sæculorum secururâ posteritate constantissimè defensuri.

*Lainius
in Concilio
Trid. im-
maculatâ
B. Virgi-
nis conce-
ptionem
defendit.*

*Societas
Sodalitates
B. Virginis
administrat.*

Verùm enimuerò festinanti mihi vnum propè exciderat, quod tamen summum potest adferre pondus ad illud, quod mihi propositum est maximè, confirmandum: quo vno ostendit Dei Mater, non tantùm Societatem suam esse, sed se Societatis: nimirum quòd tot tamque illustres sub suâ tutelâ erectas Congregationes, suoque præsidio tectas ac patrocinio munitas, nostrorum hominum curæ, fidei & administrationi voluerit esse commissas. Quas Sodalitates si omnium ferè Religiosorum Ordinum feminaria, si lectissima Parthenicorum clientium ephèbia, si disciplinarum emporia, si morum palæstras, si denique virtutum omnium officinas appellauerit quis; nã ille, aptissimis titulis easdem condecorabit. Hic tenelli Virginis-matris filij, eius gremio recepti, ex vberibus illis beatissimis quasi cum Virginis lacte, succum & sanguinem pietatis imbibunt, & medullam ipsam virtutum exsugunt, quam deinde iam adulti in alios deriuent. Nunc autem quid sunt aliud innocentes illi in Sodalitate Parthenicâ pueri, nisi magnæ Matris, quos fouet, Beniamini? quid deinde adolescentes iam prouectiores, nisi eius, quos instruit, ephèbi, & pueri honorarij? quid tum iuuenes, nisi eius, quos defendit, clientes? quid viri, nisi eius, quos armat, milites? quid alij denique Sacerdotio initiati, nisi eius, quos consecrat, Antistites? Certè is feruet in illis Congregationibus in Dei Genitricem amor & studium, tot illic impenduntur ei obsequia, tantus vbique terrarum ad eas fit concursus, vt non tam ad cætum Virgini sacrum, quàm ad Virginem ipsam confluere videantur. Quid nunc dicam, quâ vi vocis, quo verborum pondere, quo animi ardore, quanta in vniuersam Societatem IESV, MARIÆ sit semperque fuerit ad eam amandam propensio, ad promouendam cura, ad defendendam sollicitudo, studium denique ad eandem totâ Europâ illustrandam? Ampliora sunt illa dignitate, maiora nobilitate, plura multitudine, quàm vt possim vel pro magnitudine grauius, vel pro splendore magnificentè, vel pro merito dignè satis explicare. Vnum igitur, quod multorum est instar, Deiparæ in Filij sui Societatem, & suam Sodalitatem, amorem, curam, voluntatem satis disertè eloquetur, quod, teste Hieronymo Plato, Sacerdoti cuidam nostro insignis religionis ac sanctimonix viro (cui Martino Guttero nomen) diuinitus monstrauit. Is, cum alia multa, præsertim de Beatâ Virgine, caelesti illustratione accepit, tum illud, quod ad rei quam tractamus argumentum inprimis pertinet. Vidit is aliquando illam eximiâ admodum specie ac maiestate fulgentem, veste in augustam latitudinem explicatâ, ac sub eâ Societatem nostram vniuersam collectam contineri; quam illa materno affectu complecteretur, eoque quasi charitatis tegumento confoueret. O propugnaculum securissimum, quo totius Societatis salus atque incolumitas continetur! ô munimentum ita solidum, vt moueri; ita stabile, vt quati; ita firmum, vt eueri omnium hostium machinis, balistis, vineis, arietibus non possit! Olim cum Perfarum quispiam de suorum militum multitudine gloriatus, his verbis se iactaret, *Cras solem obscurabimus sagittis; festiuè Græcus quidam, Gaudeo, inquit: sic enim in vmbra melius praliabimur.* hoc meritò dixerit Societas, magnificentissimo Parthenicæ togæ cono-

MARIA
Societatem
sub
pallio
fouet.
L. i. de Bono
stat. Relig.
cap. 34.

peo obumbrata: securè sine periculo, fortiter sine metu, feliciter sine clade, gloriosè sine dedecore, denique laudabiliter cum triumpho, pugnas Domini pugnabit, sub vmbra Marianæ tutelæ. Hoc Virgineo paludamento circumsepta Societas, stat, stabitque contra omnes inferorum furias, tyrannorum minas, hostium omnium machinationes & insultus, velut Capitolij immobile saxum. Quemadmodum enim olim Deus exuberanti Oceano terminos circumscribens, plenâ imperij voce præcepit, *Vsq̄e huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*; sic imperasse videtur Dei Mater: *Vsq̄e huc*, ad togam meam videlicet, *venies*. quasi dicat: Cùm ad togam meam, id est, ad patrocinium, quo clientes meos protego, deuentum fuerit; hîc nimirum detumescant illi in Societatem decumani fluctus, velut in scopulum impacti; hîc immanes vndarum moles in spumas abibunt, velut ad rupem allisæ; hîc profligatorum hominum conatus retardabitur; hîc omnis collecta vis improborum retunderetur; hîc infrementes procellæ, velut ad saxum, confringentur. denique Societas hac Virginis tutelâ protecta, in bello victoriam, in periculo salutem, in mœtore solatium, in fluctibus portum, in morte vitam, feliciter consequetur. Quid plura? MARIAE vnius præsidio, eam nacti sumus potentiam, vt mala omnia, aut vincamus fortiter, aut finiamus feliciter.

Perpicitis, vt opinor, Societatem IESV in MARIAE gremio natam, autam, educatam: illius tum parentem Ignatium, tum posteros eius omnes, singulos, vniuersos, vt solent clientes Patronam, famuli Dominam, subditi Reginam, filij Matrem, propensissimâ voluntate, studio, amore semper, iam inde à primis eius incunabulis, fuisse profecutos. Hinc si quid profluxerit, vel splendoris ad gloriam, vel gloriæ ad laudem, vel laudis ad commendationem; hoc totum in Ignatium, vt in fontem, redundat. Tu quidem, Ignati, illo tuo tam singulari in Dei Matrem amore effecisti, vt ex te posteritas ea profeminaretur, quæ plurimos Deiparæ stipendio milites, studio clientes, officio famulos, amore filios procrearet: qui omnes eiusdem Virginis, cui mancipati sunt, partim clementiâ nixi, partim subsidio fulti, partim freti potentiâ, tot & tanta pro eius & Filij gloriâ, non sine suæ gloriæ cumulo, præstitère facinora, quot & quanta à militibus tam potentis Imperatricis, à clientibus tam nobilis Patronæ, à famulis tam inclytæ Reginæ, à filiis denique tantæ Matris vel sperari possint, vel optari debeant, vel soleant expectari. Nobis interim cùm in summâ rerum inopiâ, nihil supersit nisi gratus animus, hoc quod à te accepimus patrimonium amoris in Matrem Dei, & cultum, sic æstimabimus; vt profiteamur; ita profitebimur, vt exerceamus; ita exercebimus, vt exemplo persuadeamus, auctoritate defendamus. Tu autem, ô Virgo iuxta ac Mater, cuius potestas cùm proximè ad Dei immortalis Numen accedat, tanta est, vt ei non desit neque facultas ad succurrendum, neque clementia ad miserendum, nec ad propugnandum fortitudo; hanc tibi addictissimam Sodalitatem ita tuâ ope defende, patrocinio tuere, auctoritate protege; vt quæ vnâ te parente nata, nutrice aucta est, eadem patronâ salua, & aduocatâ incolumis, ad multorum salutem plurimis ætatibus conseruetur:

*Societas
in tutelâ
B. Virginis.*

Iob 38. 11]

atque ita tota secura posteritas cognoscat, hanc, cui ita studes & amplecteris, Ignatij familiam, non tantum & esse & dici debere Societatem IESV, sed etiam Sodalitatem MARIÆ. Dixi.

*Alteram alteri Parenti nostræ Inscriptionem lubet ponere,
quæ & ipsa ære perennior gratis animis inhæreat.*

ALTERI POST IESVM ECCLESIAE PRÆSIDI
ALTERI POST IESVM SOCIETATIS PARENTI

VIRGINI-MATRI
CÆLI ET TERRÆ DOMINÆ

MARIÆ.

QVÆ

IN MINIMÆ SOCIETATIS AMICO NOMINE

PARVVLVM SVVM IESVM

GRATANTER AGNOSCENS,

SVAM TAM BENIGNO TITVLO SOCIETATEM

COMMVNI PRÆSIDIO TEXIT,

PATROCINIO GVBERNAVIT.

CVIVS

POTENTISSIMÆ IN HOSTEM TARTAREVM BELLATRICIS

AVSPICIIS

IN NOVVM CHRISTI MILITEM

IPSAS AD ARAS DEDICATVS

IGNATIVS,

QVIBVS PRÆERTIM ARMIS MVNDVM VINCERET,

SVI IN SE VICTOR AGNOVIT.

A QVA,

CVM LEGES IPSE SIBI SCRIBERET AC SVIS,
PRÆCIPIENTE ET APPROBANTE DIDICIT,
QVO PROCEDENDVM ESSE MAIORIBVS,
QVO SEQVENDVM MINORIBVS
INDICARET.

C V I V S

A VIRGINEO LACTE CANDIDI

IIDEM QVI A IESV SANGVINE RVBICVNDI,
HINC MARTYRES, INDE VIRGINES,
VTROBIOVE FELICES SVNT

S O C I I,

QVOD GEMINO MATRIS ET FILII NOMINE CONSECRATI.

ILLI ERGO DOMINÆ, ILLI MATRI,
IN QVA VELVT ARCE TVTISSIMA
QVI RERVM SVARVM SPEM ET TVTELAM COLLOCAT
PERIRE NON POTEST,
REPETITO SÆPIVS SACRAMENTO
ET SODALES ET SOCII
ET CVM VTRISQVE SOCIETAS
MATERNIS AFFVSA GENIBVS
NON VNO DEVINCTAM SE NOMINE
NON VNO DEVOTAM NVMINE
CONFITETVR.

ORA-